

quid deditur. unius filii

canit. leonide deprecatur.

caudat aquila. **L**ae foma bestia

is qua sapientia. iheralis uota sic

materialis her est uopolino **L**ur

ficantur. faciem. pletu us

qui mltos. nos doctum

oz de seimna. nos dicit ad

una. au. ymo. super. us. de

pe mercedis et coram

Register dieses Buchs.

1. Bekantnis von der freyen Verknüpfung beider Naturen in Christo v. Titelm. Heshusij.
2. Bekantnis vom 6. Abendmahl Christi. Heshusij.
3. Brief von dem Collegio der zu Gnesen verordneten Theologen von dem Vbi quist  
Vobis Christus Item iudicium Heshusij
4. Brief von den neuen Amblingiten
5. Widerlegung des Dymokartes, namentlich zu Leipzig wider die Anhaltischen Theologen  
Brief von den neuen Amblingiten
6. Antwort auf etliche fragestellte fragen Titelm. Heshusij et c. davon ja Titelm.
7. Extract oder abzug aus einem christlichen Dankbrief und warnung v. Heshusij (im h. l. 17)
8. Warnung und Vermanung der von Zerbst an v. Selneccern
9. Kurzer schriftliche Antwort auf die Anhaltischen Theologen Warnung und Vermanung
10. Selneccerns Kurzer abtunung der schriftlichen Antwort der Zerbster Theologen
11. Auf die Anhaltischen Theologen wider v. Chemnitzum und Selner.
12. Bericht von M. Weiff Ambling und sein anhang unter den Anhaltischen Landigen
13. Joh. Curpi hieser erklärung über 3 freyen, welche Hüben erzeigt hat.
14. Disputatio de persona Christi Pfaffradij
15. Disputatio. 1. de officio prophetae Christi. Berckelmannij
16. Historia passionis et resurrectionis Christi per Justum Grossart
17. Enchiridion Catechetikum Cyprij
18. De incarnatione Verbi disputatio per Clearium
19. Disputatio 3. de peccato originis. Hoffmannij
20. Propositiones de Baptismo Heshusij
21. Disputatio de ecclesia Dei Boetij

<sup>21.</sup>  
P R O P O S I T I O N E S  
D E  
B A P T I S M O.

Q V A E D E O I V V A N T E, E T  
Spiritus suum largiente in Illustri Academia Iulia quæ  
est Helmstadij, præside Tilemano Heshusio Theo-  
logiæ Doctore: & respondente M. Hinrico  
Boethio Hebraicæ linguæ Pro-  
fessore disputabun-  
tur

*21. Septemb.*



HELMSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius. Anno  

---

M. D. LXXXV.

PROPOSITIONES

DE

BAPTISMO

QVAE DEO IVVANT E

300

ca. 1000

Mag. Doctor & theologiae M. Hinc

Doctor Robertus

Mag. Doctor

in Septem



HELMSTADT

Excudit per Jacobus Lucius Anno

M. D. LXXXV



# PROPOSITIONES.

## De Baptismo.

### I.



Baptismi vocabulum generatim vsurpatum significat ablutionem, tinctionem, seu immersionem in aquam: Ac in veteri testamento variæ fuerunt ablutiones: Leuit. 16. præcipit Deus sacerdoti, vt carnem abluat aqua, priusquam sanctum sanctorum ingrediatur: Et Marcus de Pharisæis inquit: quod teneant Baptismos poculorum, vrecorum, & aliarum rerum: Et epistola ad Hebræos inquit: Quæ sacrificia posita erant tantum in cibis, potionibus, & in varijs baptismis, & iustificationib<sup>9</sup> carnis. Nos verò illis ònib<sup>9</sup> sepositis hic loquimur de sacramento Baptismi, q<sup>o</sup> pater æternus in nouo testamēto instituit. *Marci 7. Heb. 9.*

II. Veteri enim testamento, & figuris omnibus Christi spirituale regnum adumbrantibus, finem impositurus Deus: Et Messia, qui nouum erat inchoaturus testamentum viam paraturus: ac promissi Messia præsentiam mundo testatam facturus, nouum sacramentum in Ecclesia instituit: & iussit homines Baptisari.

III. Non enim vllus hominum, sed ipse æternus Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, est sacrosancti Baptismi author, Ioh. 1. Qui misit me, vt baptisarem aqua, ille mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem, & super ipsum manentem, is est, qui baptisat Spiritu sancto: Et Lucas inquit: Factum est verbum Dei *Luc. 3.* ad Ioannem filium Zachariæ in deserto.

IIII. Iohannes filius Zachariæ & Elisabethæ vt

præcursor Christi ex mandato æterni patris & Dei primum inchoauit Baptismum: Vnde & Baptistæ nomen fortitus est.

V. Est ergo Baptismus actio sacra ab ipso æterno Deo in nouo testamento instituta, in qua homo tingitur aqua, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: quo lauacro ipse æternus & verus Deus propter filium Mediatorem, remittit Baptifato omnia peccata: dat ei Spiritum sanctum: recipit eum in gratiam: regenerat eum ad vitam æternam: inquit cum ipso fœdus: adoptat eum in filium: & constituit eum hæredem regni cœlorum.

VI. Definitionis huius fundamenta sunt, dictum Christi: Matth. 28. Baptifate eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: Et Marci 16. Qui crediderit & baptifatus fuerit, saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Et Paulus ad Titum 3. saluus nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos copiosè per Dominum nostrum Iesum Christum.

VII. Baptifari in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti est mandato æterni patris, filij, & Spiritus sancti: & in agnitionem huius æterni, & veri Dei: in inuocatione & fide æterni patris, filij, & Spiritus sancti: deniq; in obligationem, quod hunc solum Deum patrem, filium & Spiritum sanctum agnoscere: in ipsum credere: ipsum inuocare & colere: ipsi gratias agere & seruire velis: atq; etiam in fœdus cum hoc æterno Deo, quod ipse nos exaudire, fouere, tueri, & salutem æternam nobis donare velit, baptifari, & tingi.

VIII. Eleganter igitur Basilius ex verbis Baptismi colligit: *ἡμεῖς βαπτίζομεθα ὡς παρελάβομεν: πιστεύειν ἢ ὡς βαπτίζομεθα δοξάζειν ἢ ὡς πεπιστεύκαμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα,*

*Epistola  
78.*

*πνεῦμα*, hoc est, oportet enim nos Baptizari, quemadmodum accepimus: credere autem quemadmodum baptisamur: glorificare autem, quemadmodum credimus, patrem, filium, & Spiritum sanctum.

IX. Constat Baptismus mandato & verbo Dei, quod usurpandum, & pronunciandum est: & externa actione, nimirum immersione in aquam, seu aspersione aquæ, seu tinctione.

X. Inter Baptismum Ioannis Baptistæ, Christi & Apostolorum non est discrimen: autor enim idem est: actione constat eadem: & eundem habet effectum: Ioannes in exhibitum & præsentem Messiam Iesum Christum baptizavit, in poenitentiam & remissionem peccatorum: idem fecerunt & Apostoli, Christo in terris viuente: Vbi verò Christus & mortem subiit: & ex morte fuit resuscitatus, Apostoli, & eorum discipuli in Christum Iesum crucifixum & resuscitatum baptisauerunt.

XI. Non minus Baptisma Ioannes contulit peccatorum remissionem, donationem Spiritus sancti, & hæreditatem vitæ æternæ: quem Baptisma ab Apostolis administratum. Marcus inquit cap. i. Ioannes prædicauit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

XII. Filius Dei Dominus noster Christus baptisatus à Iohanne in Iordane, non solum exemplo suo Baptismum Iohannis confirmavit, & testatus est se socium esse huius Ecclesiae quæ Ioannis Baptisma susciperet: verum etiam Iordanem, & omnes aquas ad usum Baptismi sanctificauit.

XIII. Etsi filius Dei Dominus noster Iesus Christus purus & immunis fuit ab omni peccato, quod ad

*2. Cor. 5.* ipsius personam pertinet: Non enim nouit peccatum:  
*Ies. 53.* nec est dolus inuentus in ore ipsius: voluit tamen bap-  
tismi, & ablui à peccatis, vt testaretur totius generis hu-  
mani peccata in se translata esse: illaq; in sua persona  
ablui & expiari.

XIIII. Quod Petrus Lombardus disputat Iohan-  
nis Baptisma sola abluisse corpora, à peccatis verò non  
mundasse: Iohannis Baptisma fuisse in poenitentiam:  
non in remissionem peccatorum: In Baptismo Iohan-  
nis non fuisse datam peccatorum remissionem: quæ da-  
ta fuerit in Christi Baptismo. Quodq; Augustinus di-  
*Lib. 5. de* sputat post Ioannis Baptismum, Christi Baptismum fu-  
*Baptismo* ille necessarium, hallucinatio est.

*cap. 9.* XV. Duodecim illi discipuli, quos Apostolus repe-  
rit Ephesi, qui Ioannis Baptismo tincti erant: non sunt  
denuò à Paulo baptisati: sed pleniorum cognitionem  
de Iesu Christo crucifixo, & resuscitato, & de visibili  
effusione Spiritus sancti percipientes: per impositio-  
nem manuum Apostoli Pauli donationem Spiritus san-  
cti visibili specie acceperunt.

XVI. Quemadmodum & Samaritani baptisati à  
Philippo venientibus postea Apostolis Petro, & Iohan-  
ne, non denuò sunt baptisati: sed Apostolis precanti-  
bus, & manum ipsis imponentibus Spiritum sanctum  
visibili specie acceperunt.

XVII. Hieronymo qui in 2. cap. Ioelis sic scribit:  
Vnde & in actibus Apostolorum, qui baptisati erant  
baptismate Ioannis in eum qui venturus erat: hoc est,  
in nomine Domini Iesu: quia responderunt Paulo in-  
terroganti: sed ne si sit quidem Spiritus sanctus noui-  
mus iterum baptisantur, imò verum baptisma accipi-  
unt: quia sine Spiritu sancto, & mysterio trinitatis,  
quicquid



quicquid in vnam & alteram personam accipitur imperfectum est, non assentimur.

XVIII. Ephesij baptisati baptisate Ioannis haud dubie didicerant doctrinam de aeterno patre, filio, & Spiritu sancto: quae semper fulsit in Ecclesia. At de visibili effusione Spiritus sancti vt singulari dono, quo Deus ornauit Ecclesiam in nouo testamento, Christo resuscitato ex morte, & ad dexteram Dei collocato nihil perceperant.

XIX. Etsi baptisati in nomine Domini Iesu verè & rectè sunt baptisati: Qui enim filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum verè agnoscit in fide: is & patrem aeternum, & Spiritum sanctum agnoscit: tamen quia Dominus noster Iesus Christus princeps & caput totius Ecclesiae, iussit baptisare gentes in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: forma haec baptisati omnium est rectissima: neq; ab vilo est mutanda.

XX. Quod Iohannes baptista inquit: Ego baptiso vos aqua: post me autem venit, qui vos baptisabit Spiritu sancto: non constituit discrimen inter baptisatum Ioannis, & Christi: sed ostendit differentiam tam personarum quam officiorum: Iohannes tantum erat homo, non Deus: Christus verò est Deus & homo: Ioannes tantum externum administrabat sacramentum: sonabat Euangelium: baptisabat aqua in praesentem Messiam: at mentem non potuit conuertere: non dedit Spiritum sanctum: non accendit vitam: non impertijt fidem: non est largitus salutem: At Christus filius Dei mediator à patre constitutus, illuminat & conuertit corda: dat Spiritum sanctum: accendit in mente fidem: viuificat animam humiliatam: facit nos participes vitae & aeternae salutis.

XXI.

XXI. Vnus tantum est Baptismus: vt vnus Dominus & vna fides: ad Ephes. 4. & rectè dixerunt patres in concilio Constantinopolitano: ὁμολογῶμεν ἓν βαπτίσμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν: confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum.

XXII. Quod veteres dixerunt esse baptismum fluminis, fluminis, & sanguinis sobriè est intelligendū: Aquæ enim Baptismus est verum sacramentum ab æterno Deo institutum. Quod ad fluminis baptismum attinet, donatio est Spiritus sancti: qui est baptismi effectus. Et hoc Dei beneficium metaphoricè dicitur Baptismus. Ego aqua vos baptiso inquit Iohannes: ille vos baptisabit igne. Sanguinis baptisma similiter est methaphora: Vt enim baptisatus mergitur in aquam, & abluitur: ita martyres in mortem merguntur, & proprio sanguine asperguntur: vnde Christus ad discipulos inquit: potestis baptisari baptismate quo ego baptisor? hoc est, potestis ne afflictiones sustinere, quas ego sustineo?

*Marc. 10.*

*Augusti. de ciuitate Dei lib. 13. cap. 7.* XXIII. Quod Augustinus inquit: Nam quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata: quantum, si abluerentur sacro fonte baptismatis. Item passio pro nomine Christi: id quod ex Baptismo deerat, potest supplere: quia verbo Dei consentaneum non est, non probamus.

*Augusti. de baptismo contra*

*Donatistas lib. 5. cap. 22.*

XXIII. Non quidem negamus eos qui etiam nondum percepto baptismo rapti fuere ad supplicium, in fide, & confessione nominis Christi constanter sustinuerunt supplicia, & mortem subierunt in inuocatione Iesu Christi salutem æternam consecutos esse: sed ipsum martyrium & sanguinis effusionem ipsis valuisse ad pec-

ad peccatorum remissionem, & ad consequendam salutem, quasi ipsa passione hoc sint meriti martyres, quod baptismi sacramento consequimur, negamus.

XXV. Nullius enim hominis passio, vel martyrium vel sanguinis effusio, valet ei ad remissionem peccatorum: neq; ullius hominis martyrium meretur salutem æternam. Tantum enim præciosa mors Mediatoris Domini nostri Iesu Christi valet coram Deo ad impetrandam hominibus remissionem peccatorum: & meretur nobis vitam æternam. Filius Dei Iesus Christus *1. Timoth.* mediator dedit seipsum *ἀντίλυτρον* pro nobis omnibus. *2.* Et ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Soli Christo filio Dei hic honos debetur quod satisfecit pro peccatis mundi: iram patris placavit: & vitam nobis meruit æternam. Nemo hominum etiam si supplicia sustineat omnium atrocissima: & constanter subeat mortem, pro gloria Christi: satisfacit pro suis peccatis: aut meretur vitam. Martyrium sanctorum est testimonium veræ fidei: & promissionem habet amplissimæ mercedis in cælo: Eleganter Leo inquit: Quamvis enim multorum sanctorum in conspectu Domini præciosa mors fuerit: nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi: accepere iusti non dedere coronas: & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iusticiæ. *Epistola 83. ad palestinos monachos.*

XXVI. Baptismus ad salutem consequendam est necessarius, quia filius Dei dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu: non intrabit in regnum cælorum, Iohan. 3.

XXVII. Augustinus & reliqui Orthodoxi patres, hoc Christi dictum rectè exponunt, de sacramento baptismi, qui est lauacrum regenerationis: Disertè enim

B

Chri-

Christus inquit: hominem oportere renasci ex aqua & spiritu. Calvinus, Bullingerus & alij nefariè hoc dictum corrumpunt, dum contendunt non intelligendum esse, de Baptismo aquæ: sed de spirituali regeneratione. Calvinus inquit, aquam & spiritum simpliciter pro spiritu accipio, qui aqua est. Bullingerus verò inquit, esse similitudinem: sicut aqua & aere non rarò corporum qualitates mutantur: & mirus est effectus in corporibus aeris & aquæ: Ita etiam Spiritus sancti in anima hominis, quam immutat, purgat, & viuificat. Hæc manifesta, violenta & impudens est deprauiatio verbi diuini.

XXVIII. Si quis tamen non religionis contemptu, sed necessitatis articulo impeditus, Baptismi particeps fieri non posset: si seriò pœnitentiam agat: & credat in filium Dei mediatorem, haud dubiè vitam consequitur æternam.

XXIX. Latroni in cruce conuerso defuit Baptismus: quia tamen seriò pœnitentiam egit: & verè credidit in mediatorem in cruce pendentem, audit à Christo: Hodie mecum eris in Paradiso.

XXX. Omnes homines sunt baptisandi, qui Christi doctrinam amplectuntur sine omni respectu personarum: siue sint Iudæi, siue Gentiles, siue Turcæ, siue Mosci, siue Tartari. Mandatum enim Christi vniuersale est: *Math. 28.* Ite in mundum vniuersum: & docete omnes gentes: & baptisate eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.

### De Baptismo infantum.

XXXI. Non solum adulti, sed & infantes sunt baptisandi.

tisandi: vt peccata ipsorum abluantur: Ecclesiæ Dei  
infantes inserantur: cum Deo foedus ineant, regene-  
rentur, & vitam æternam consequantur.

XXXII. Christus inquit: Sinite paruulos ad me  
venire: quia talium est regnum cœlorum. Et rursus:  
Sic non est voluntas patris vestri in cœlis, vt pereat v-  
nus de pusillis istis. Quibus Christus offert regnum  
cœlorum, hi à baptismo arcendi non sunt: per sacra-  
mentum enim Baptismi infantes inseruntur Ecclesiæ:  
& fiunt oues regni cœlorum: per baptismum infantes  
regenerantur ad vitam æternam: & datur illis Spiritus  
sanctus. Cum ergo infantes regeneratione indigeant:  
omniò ad Christum adferendi: & per Baptismum Ec-  
clesiæ Dei inserendi sunt.

XXXIII. Infantes nasci cum peccato originis: esse  
natura filios iræ: & obnoxios æternæ damnationi, ho-  
mines pij, & in doctrina Ecclesiæ rectè instituti negare  
non possunt: testimonia enim sacræ scripturæ manife-  
sta sunt. Dauid inquit: Ecce in iniquitatibus conce- *Psal. 51.*  
ptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Et  
Paulus: Eramus omnes natura filij iræ: Et Christus: *Eph. 2.*  
Quicquid ex carne natum est, caro est. Christus verò  
vult omnes qui peccata habent, & damnationi sunt ob-  
noxij, baptisari: vt peccata ipsorum abluantur: & be-  
neficia sua ipsis adplicentur. Ergo & infantes regene-  
rationis lauacro tingendi sunt.

XXXIII. Mandatum Christi ad apostolos vniuer- *Marci 16.*  
sale est: vt euntes in mundum vniuersum, prædicent  
Euangelium vniuersæ creaturæ, addita promissione:  
Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit: Et in  
Mattheo, Euntes docete omnes gentes: Baptisantes e- *Matth. 28.*  
os in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: Qui o-  
mnes

mnes gentes exprimit: haud dubiè & infantes comple-  
ctitur: quæ non sunt minima pars gentium.

*Act. 16.*

XXXV. Lucas in actis scribit, Apostolos integras  
domos seu familias baptisasse: de custode carceris enim  
apud Philippenses scribit: Baptisatus est, ipse, & o-  
mnes domestici ipsius. Rectè igitur nos sequimur ve-  
stigia sanctorum Apostolorum.

*Coloss. 2.*

XXXVI. Apostolus Paulus testatur baptismum  
successisse circumcisioni: dum inquit, circumcisi estis  
circumcisione quæ fit sine manibus: dum exuistis cor-  
pus peccatorum carnis per circumcisionem Christi:  
consepulti sumus cum eo, per baptismum: in quo si-  
mul etiam cum eo resurrexistis: per fidem efficaciam  
Dei: qui suscitavit Iesum à mortuis. At infantes in ve-  
teri testamento octavo die sunt circumcisi: cum neq;  
doceri possent, neq; ratione uterentur. Ergo & in no-  
uo testamento infantes sunt baptisandi.

*In 6. cap.  
ad Rom.*

*Lib. 3. e-  
pistola 8.  
ad Fidū.*

XXXVII. Origenes scriptor vetustissimus testat,  
consuetudinem baptisandi infantes ab Apostolis tradi-  
tam & acceptam esse.

*Augusti.  
lib. 4. cap.*

*8. ad Bo-  
nifacium  
contra du-  
as episto-  
las pelagi-  
anorum.*

*De pecca-  
torū meri-  
tis, & re-  
missione  
lib. 1. cap.  
26.*

*Matth. 18.*

XXXVIII. Cyprianus quoq; interrogatus, an li-  
ceret infantes ante octavum diem baptisare, cum Epi-  
scopis Africanis rectè respondit, licere: & infantes à  
baptismo arcendos non esse.

XXXIX. Augustinus disertè fatetur, baptismum  
infantum vniuersæ Ecclesiæ autoritate niti: & per  
Dominum & Apostolos traditum esse.

XL. Quod Anabaptistæ cõtendunt, infantes carere fi-  
de: Sacramenta autè absq; fide pcepta non esse efficacia:  
idcirco infantibus baptismū denegandū esse, fundamē-  
to caret. Filius enim Dei etiam pusillis attribuit fidem:  
Qui offenderit vnum de pusillis istis, qui in me credunt.

Et cum

Et cū Christus ex psalmo 8. citat dictū: Ex ore infantū  
& lactentium perfecisti laudem, ppter inimicos tuos, vt  
destruas inimicū & vltorē. idq; ad pueros in templo ca-  
nentes accommodat: testatur in infantibus lucere fidē,  
quæ Iesum Christum agnoscat, & confessione celebret.

XL I. Bullingerus Christi dictum sic interpretatur:  
paruulos vocat credentes: eò quod ex gratia eos pro  
credentibus reputet: Hæc interpretatio eneruat Chri-  
sti testimonium: Imò Christus veram fidem tribuit in-  
fantibus: Si quis, inquit, offenderit vnum de pusillis  
istis, qui in me credunt. Testatur ergo veram fidem in  
infantibus lucere.

XL II. Præceptum prius docendas esse gentes, de-  
inde baptifandas ad adultos rectè accommodatur: non  
autem arcet à baptismo infantes. Idem de præcepto:  
Agite pœnitentiam, & baptifetur vnusquisq; vestrum  
in nomine Iesu, in remissionem peccatorum, responde-  
mus: adultos enim tum alloquebatur Apostolus Pe- *Act. 2.*  
trus.

XL III. Negamus infantes recens natos, non esse  
capaces regenerationis & renouationis: Quorum enim  
est regnum cœlorum, illi sanè capaces sunt regenerati-  
onis: Ioannes Baptista in vtero matris repletus fuit  
Spiritu sancto: & motu admirabili præsentiam Messia  
Domini sui testatus est.

XL IIII. Incommodè dictum est à Cypriano: In  
baptismo infanti non propria: sed aliena dimitti pec-  
cata. Habent enim infantes cum originale, tum actua-  
lia propria: quæ infantibus dimittuntur, in baptismo,  
cum reatu quem traxerunt ab Adam.

XL V. Augustinus Iuliano Pelagiano respondens  
excusat dictū Chrysofomi: *Ἀγὸς ἢ τὸ πρὸς τὰ παῖδια βαπτίζομεν*  
*ἢ τὸ*

ἢ τὰ ἀμαρτήματα ἐκ ἔχοντα hoc modo: Infantes non habent propria peccata: Verum hæc responsio nobis non satisfacit: potius fatendum est, Chrysoftomum inconsideratè & falsò locutum esse.

XLVI. Infantes enim omninò propria habent peccata: ipsum peccatum originis in infante non tantum alienum est, aliundè contractum: sed & proprium infantis. Ipse enim defectus iusticiæ originalis est in infante: ipse infans pollutus est reatu: & caret luce agnoscente Deum: caret rectitudine voluntatis: caret timore, & dilectione Dei: habet mentem caligine oppressam, & voluntatem malitia corruptã. Et ex hac corrupta radice surgunt & pullulant pravi & impuri affectus: Ne vnus quidem dies, vel horæ infans imunis est à peccato actuali: ira & impatientia infantis graue peccatum est. Et quod infans recens natus caret perfecta iusticia, in qua conditus est homo, grande & proprium est peccatum infantis.

XLVII. Omnia peccata in baptismo infanti dimituntur: sed morbus peccati originalis non mox extinguitur, neq; prorsus aufertur. Rectè Augustinus: peccatum originis tollitur in Baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur. Et rursus: omnis quidem reatus mali tollitur, in Baptismo: non omne malum.

*Epistola* XLVIII. Quod Augustinus dicit, paruulos per oras, & corda gestantium & confitentium credere in Baptismo, non probamus. Habacuc enim propheta inquit: *lib. 6.* iustus sua fide viuet cap. 2.

*De peccatorum merito* XLIX. Rectius sentit Augustinus cum dicit: Paruulis virtute Baptismi dari fidem: Paruulos inquit inter eos ponimus, qui crediderunt: Hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti.

L. Cal-



L. Calvinus, Bullingerus, Beza, & qui illos sequuntur, contendunt, infantes fidelium sanctos esse ab utero, etiam ante baptismum; & iure foederis ad Christi corpus pertinere: Hæc verò sententia sacræ scripturæ consentanea non est: Paulus enim affirmat, nos omnes natura esse filios iræ: Et Christus inquit: Quicquid ex carne natum est caro est: Caro autem res est caduca, polluta, morti obnoxia, caret Spiritu sancto & vita. Et Paulus dicit: In Adam nos omnes esse mortuos: Et David: Ecce in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Non ergo sancti, sed peccatores, & ira Dei onerati sunt fidelium liberi ante baptismum.

*Ephes. 2.  
Ioban. 3.*

*1. Corin.  
15.  
Psal. 51.*

L I. Paulus quidem legitimorum conjugum liberos sanctos pronunciat: Verum non loquitur de spirituali sanctificatione, quæ baptismo confertur: sed de sanctitate civili seu legali, quæ legibus Moïsis conveniat: quasi dicat: illorum conjugum, quorum diuersa est religio, constat tamen coniugium: & illorum liberi sunt legitimè nati.

*1. Corin.  
7.*

L II. Sic cum Paulus inquit: Si primitiæ sunt sanctæ, sancta est, & conspersio: si sancta est radix sancti sunt, & rami: Non hoc vult fidelium liberos sanctos esse ab utero: vel singularem esse prærogatiuam, quod ad spiritualem sanctitatem carnalis procreationis: sed de legali sanctitate loquitur: & similitudinibus sumptis à legalibus ceremonijs ostendit DEVM non penitus abiicisse populum Iudaicum. Cum autem massa primitiæ oblata & sanctificata erant: tota massa erat sanctificata, & vsibus hominum concessa: si radix sancta & lege concessa erat: erant & rami sancti, hoc est, vsibus populi Iudaici concessi. Hoc autem in-

*Rom. 11.*

tem in-

tem interre conatur Apostolus Paulus: Cum DEUS Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, Moysen, prophetas, & sanctos reges, & ciues Israelitas elegerit, vocarit, iustificarit: tanquam primitias & radicem populi: certum est quod totum populum non abiecerit.

*Gen. 17.* LIII. Promissio illa diuina: Ero Deus tuus, & Deus feminis tui: non tribuit carnali generationi singularem prerogatiuam spiritualium beneficiorum regni Christi: sed ita offert benedictionem, si fiat applicatio per sacramenta, & fidem: Inquit enim Deus: Mas praputatus, cuius praputium carnis praeifum non fuerit, huius anima excindetur e populo suo: foedus enim meum irritum fecit.

LIIII. Nec dubium est, quin Deus in promissione intelligat spirituale semen Abrahamae, quod sequitur vestigia fidei Abrahamae.

*Rom. 9.* LV. Paulus enim carnali generationi disertis verbis derogat spiritualement prerogatiuam: Non omnes inquit, qui sunt ex Israele, hi sunt Israelitae. Neque omnes, qui sunt semen Abrahamae, hi sunt & filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: hoc est non filij carnis, hi sunt filij Dei: sed filij promissionis reputantur in semen. Ergo qui promissionem Dei Abrahamae factam de semine benedicturo omnes gentes fide amplectuntur, hi sunt Abrahamae semen & filij: Et de his loquitur promissio: Ero Deus feminis tui.

*De peccatorum meritis lib. 2. cap. 9.* LVI. Cum Pelagiani sic colligerent: si peccator gignit peccatorem: Ergo & ex iusto nascitur iustus. Augustinus recte respondet, non valere argumentum: Quia iustus non ex hoc generat, quod in nouitatem promouit inter filios Dei: sed ex hoc quod adhuc vetustum trahit

trahit inter filios seculi. Trahit præputium proles inquit: quod non habet parens.

L VII. Et disertis verbis dicit paruulos filios redemptorū esse sub potestate Diaboli captiuos, nisi & ipsi eadem gratia redimantur. Non ergo infantes fidelium sancti sunt ab vtero, ante baptismum.

L VIII. Cum in Ecclesia Dei infantes in vtero matris, vel in ipso partu extinguuntur, aut alioquin præter culpam & voluntatem parentum baptismo potiri nequeunt: parentes autem in fide pro salute suorum infantum seriò & ardentè precantur: illosq; gratiæ Dei comendant: non dubitamus piorum parentum preces à Deo exaudiri: & infantem etiam non baptisatum salutem consequi æternam. Potest enim Deus etiã sine externo medio agere: Et Christus inquit: Amen dico vobis, quod si duo consenserint super terram de omni re quam petent, fiet eis à patre meo, qui in cœlis est. Vbi enim duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum.

### De fructu & efficacia baptismi.

L IX. Per baptismum abluimur à peccatis: à Deo recipimur in gratiam: liberamur à morte, & potestate Satanæ: regeneramur, & cooptamur in filios Dei: donamur Spiritu sancto: Deus inquit nobiscū foedus, quod nos fouere, tueri, nutrire, defendere, exaudire, & saluos facere velit. Christus inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non introibit in regnum cœlorū. *Ioh. 3.*

Et Marci 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Et Paulus: Non ex operibus iusticiæ, quæ nos fecimus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum

Lib. 6.  
cont. Iulianum.  
August.

uacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos copiosè per Iesum Christum saluatorem nostrum vt iustificati ipsius gratia hæredes fieremus secundum spem vitæ æternæ. Et Apostolus *1. Pet. 3.* Petrus: Et nunc saluos nos fecit baptisma, quod respondet aquis Diluuij tanquam veritas typo, non fordidum carnis depositio, sed est stipulatio bonæ conscientiae erga Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei. Et Paulus: *Ad Epbes. 5.* Quemadmodum & Christus dilexit Ecclesiam, & dedit seipsum pro ea: vt eam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ in verbo. Quæ dicta omnia perspicuè testantur, Deum per baptismi Sacramentum efficacem esse, & salutem operari. **L X.** Hæc vis & efficacia baptismi per omnem vitam hominis durat: Quod si enim sancti & fideles baptisati relabantur in peccata: excidant gratia: & irritum faciunt hoc cum Deo initum foedus: si modo seria poenitentia acta crediderint in Dominum nostrum Iesum Christum, recipiuntur in pristinum foedus: donantur remissione peccatorum: effunditur in ipsos Spiritus sanctus: sunt filij Dei, & hæredes vitæ æternæ: Et hac consolatione se erigere & sustentare debent, quod tincti sint in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti: quodq; Deus ipsis promiserit, se ipsorum Deum futurum: & ipsos clementer exauditurum.

**L X I.** Consecrationem aquæ baptismi apud pontificios vñtatam reijcimus: vt quæ nullo Dei mandato nititur: Ideoq; superstitiosa est: Et sanctorum inuocationes Idolatricæ, quæ fiunt in consecratione baptismi detestandæ sunt: quia pugnant cū primo pcepto.

**L X I I.** Aquæ baptismi peculiarem vim abluendi peccata, & regenerandi hominem non tribuimus: Quia  
verò

verò Deus medium hoc instituit, quo & ablueret peccata: hominem regeneraret: & in Dei filium adoptaret: credimus verbo Dei adfirmanti Deum per externum illud signum efficacem esse & salutem operari.

LXIII. Non enim difficile est Deo per externum aliquod signum, quod ipse elegerit maiestas, etiam spiritualia operari & efficere: ut per impositionem *Act. 8.* manuum Apostolorum dedit discipulis eorum Spiritum sanctum visibili specie: Vnus ex Seraphin carbonem incensum forcipe correptum ex ara adhibet ori Iesaiæ, & inquit: En tetigit hoc labia tua ut recedat *Ies. 6.* iniquitas tua. Ac multa & magna effecit Deus externis signis adhibitis. Cum Naaman Syrus leprosus ex mandato Prophetæ Elisei lauaret se septies in Iordane, restituitur eius caro, ut alicuius pueri recens nati. Cum Christus luto facto ex sputo illineret oculo nati cæci: & ille ex mandato Christi oculos ablueret in fonte Siloha, redijt ille videns: Deo enim nihil est impos- *Iob. 9.* sibile.

LXIII. Error est quod Cinglius, Calvinus, Bullingerus, & qui eos sequuntur, negant aqua baptismi nostram perfici ablutionem & salutem: sed duntaxat talium donorum cognitionem & certitudinem hoc sacramento percipi: Nolunt enim baptismum esse animæ lauacrum: sed tantum obsignationem remissionis peccatorum.

LXV. At Apostoli Pauli verba manifesta sunt: saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti: Etsi igitur hic honor sanguini CHRISTI debetur, quod mundet nos ab omnibus peccatis: tamen per baptismum adplicat

C 2

nobis

NOBIS CHRISTIVS hoc suum beneficium: Et per  
baptismum remittit peccata: regenerat nos ad vitam  
æternam: & dat nobis Spiritum suum sanctum.

LXVII. Baptismum ex opere operato conferre  
gratiam papisticus est error. Deus enim in singulis re-  
quirit fidem: etiam si tam in infantibus, quam adultis  
ipse fidem accendat & operetur. Baptismus significat  
nos omnes immundos esse: & multis peccatis macula-  
tos: indigere verò ablutione, & purificatione, quæ fit  
sanguine Domini nostri Iesu Christi.

LXVIII. Baptismus quoq; significat nos mergi in  
mortem Iesu Christi, & cū ipso sepeliri, vt mortui pec-  
cato & cum ipso resuscitati in nouitate vitæ ambulem.  
*Rom. 6.* Vnde Paulus inquit: Quotquot in Christum Iesum  
baptisati sumus, in mortem ipsius baptisati sumus. Cū  
ipso igitur sepulti sumus, per baptismum in mortem, vt  
quemadmodum Christus resurrexit, per gloriam pa-  
tris: sic & nos in nouitate vitæ ambulemus.

LXIX. Ad hæc baptismus est typus afflictionum,  
& variarum calamitatum, quibus pij sunt obnoxij in  
hac vita. Vt enim in baptismo mergimur in aquam: ita  
pater æternus mergit fideles in varias ærumnas, & ad-  
flictiones: vt carnis desideria in ipsis mortificet.

LXX. Quod veteres licet doctrinam Euangelij am-  
plecterentur in senectutē vsq; baptismum differebant;  
vt in historia Constantini magni, Theodosij magni, & a-  
liorum legimus improbandum est.

LXXI. Gregorius Nazianzenus rectè quidem eos  
reprehendit qui in senectutem vsq; baptismum cum  
summo periculo differunt: Verum in eo errat, quod  
censet baptismum in tertium vsq; annum aut circiter  
differendum, vt pueri mysteria Dei audire, & aliquid  
respondere possint.

LXXII.

L XIXII. Imò & ditiores qui pompæ causa infantū  
baptismum per aliquot septimanas aut mentes diffe-  
runt, grande peccatum committunt: & grauem Dei i-  
ram prouocant: siquidem infantis salutem magno per-  
riculo exponunt.

L XIXIII. Neq; à patribus rectè est factum, quod  
tantum circa festum paschatos, & pentecostes bap-  
sarunt: cum liceat toto anno & omni tempore hoc sa-  
cramentum baptismi administrare.

L XIXIII. Neq; certo loco alligatum est baptisma:  
non tantum in templo, sed & in priuatorum ædibus, &  
in agro licet baptismum administrare. Vt legimus Io-  
annem in Iordane baptifasse, & in Ainon. Philippus e-  
tiam in agro baptifauit Candaces thesaurarium. Pau-  
lus custodem carceris Philippis baptifauit in ædibus.

L XIXV. In casu necessitatis cum infanti vitæ peri-  
culum imminet: & minister verbi haberi non potest: pie  
matronæ vel obstetrices, quæ doctrinam Euangelij in-  
telligunt, rectè faciunt, quod vicem pastorum implent:  
& adhibitis testibus, & facta precatone aqua tingunt  
infantem in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti.

L XIXVI. Canones vt vocantur Apostolorum seue-  
rè mandant, trinam immersionem in aquam: & secus  
baptifantem summouent ab officio: sed rectius pronun-  
ciauit Toletanum concilium quartum, nihil interesse  
siue semel, siue ter immergatur baptifandus, in aquam:  
Christus enim & Apostoli simpliciter docuerunt homi-  
nes baptifandos esse, in nomine patris, & filij, & Spiri-  
tus sancti.

L XIXVII. Neque refert siue aqua adspergas ho-  
minē baptifandum, siue in aquam immergas. Aqua omni-  
nò tingendus est homo.

LXXVIII. Quod in veteri Ecclesia baptisati & in Christo renati mox lac & vinum gustarunt: quemadmodum scribunt Tertullianus & Hieronymus, vt ab hominibus sine Dei mandato fuit inuentum & additum: ita non immeritò nunc negligitur & omittitur.

LXXIX. Quod pontificij varias adhibent ceremonias baptismo, vt salem consecratum, saliuam tangunt aures & nares, addunt & exufflationem maligni spiritus, cum fundamentum in sacra scriptura non habeant, superstitiosum est.

LXXX. Baptismus lingua vulgari, & populari, quæ à populo possit intelligi, administrandus est. Pontificij cum Germanos vel Gallos lingua latina populo ignota infantes baptisant foedè & turpiter errant: Impediunt enim serias adstantium preces.

LXXXI. Constat baptismus, & veram suam habet efficaciam, etiam si exorcismus non fuerit adhibitus.

LXXXII. Retinemus tamen in nostris Ecclesijs exorcismum quia confessio est de peccato originis: & quod infantes sub potestate Satanæ nascantur, per baptismi verò lauacrum ex tyrannide Satanæ eripiantur.

LXXXIII. Quod Marcius hæreticus, & Magus, vt author est Ireneus, baptisauit in nomine ignoti patris omnium, vt impium & hæreticum reijcimus.

LXXXIII. Marcion teste Epiphanio baptismum bis vel ter repetiuit in remissionem peccatorum: sed dubium non est, errore hoc factum esse à præstigiatore. Vnum enim est baptisma, quod per omnem vitam valet. Nec opus est repetere hoc sacramentum: Christus enim inquit: Qui crediderit, & baptisatus fuerit saluus erit Marci 16.

LXXXV. Rectè dicit lex in codice: Antistitè, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminauerit: fa-

JHVVXI



rit: sacerdotio indignum esse censemus: eorum enim  
condemnamus errorē, qui apostolorum præcepta cal-  
cantes, Christiani nominis sacramenta sortitos alio  
rursus baptisate non purificant, sed incæstant, laua-  
cri nomine polluentes.

LXXXVI. Quod Cyprianus & conciliū Cartha-  
ginense censuit, baptisatos ab hæreticis rebaptisandos  
esse, in eo cum suis Episcopis est lapsus: Rectius sensit  
Augustinus, eos qui apud hæreticos in nomine patris,  
& filij, & Spiritus sancti fuere baptisati, rectè baptisa-  
tos esse: neq; hoc sacramentum iterandum esse.

LXXXVII. Rectè tamen iudicauit Synodus Ni-  
cena Paulinianos si errore abiecto ad Ecclesiam veram  
confugerent baptisandos esse. Cum enim Paulus Samo-  
satenus negaret diuinitatem filij, & Spiritus sancti:  
neq; in nomine patris, filij, & Spiritus sancti baptisa-  
uit: verū baptisma non impertijt.

LXXXVIII. Sic & hodie, si qui à Seruetianis,  
vel Antitrinitarijs baptisati ad fidē conuerterentur: &  
ad Ecclesiam Christi accederent: omninò baptisandi  
essent: qui enim palā negant Deū patrem, filiū & Spiri-  
tum sanctū, verū baptisma nō habēt, nec administrant.

LXXXIX. Donatistarū error fuit baptismū à malo,  
& infido pastore administratum, nihil prodesse admini-  
strato. Verum hunc errorem explodit Ecclesia Dei.

XC. Rectè inquit Augustinus siue quis à fideli,  
siue à perfido dispensatore sacramentum baptismi per-  
cipiat, spes ei omnis sit in Christo.

XCI. Accommodata est similitudo qua Nazian- *De baptis-*  
zenus, & alij veteres sunt vsi. Vt sigillum eandem *mo.*  
figuram imprimit cæræ: siue signum in auro, vel ar-  
gento, vel ferro, vel chalybe fuerit sculptum: sic eadem  
est bap-

est baptismi efficacia siue fidelis ac pius, siue infidelis & impius illum administrauerit.

XCII. Quod pontificij campanas baptisant in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, vt immunes sint à potestate Satanæ, impius & execrandus abusus est sanctissimi sacramenti. Non enim campanas, sed homines iussit filius Dei baptisari: Nec campanæ ablatione peccatorum egent, cum non peccarint.

XCIII. Fœdus error est quod pontificij docent, sacratam aquam baptismi prodesse contra morbos, incantationes, & ad depellēdos malignos spiritus.

XCIIII. A Eternus pater Domini nostri I E S V CHRISTI, qui sanctum baptismi sacramentū instituit vt nobis omnia remitteret peccata: & nobiscum æternum fœdus iniret, quod Deus noster esse, nos tueri, & fouere, exaudire, ab omnibus malis eripere, & æternam nobis salutem donare velit; illuminet, & regat nos Spiritu suo sancto, vt in agnitione ipsius, & æternæ veritatis quotidie crescamus: omnem fiduciam in mortem Iesu Christi mediatoris ponamus: fœdus, quod cū Deo pepigimus, perpetuò reuerenter & fideliter seruemus: Et per Christum salutem consequamur æternam:

Vt Deum patrem, filium vnigenitum mediatorem nostrum, & Spiritum sanctum pro immensis beneficijs cum omnibus electis in omni æternitate celebremus. Amen.

*Jeſu Doſſa.*

Jg 3350

ULB Halle 3  
003 560 996



f

TA → OL

Murant u. 11


Verknüpfung

VD77



nam rāngēs inā legis subve  
**M**arais leo per deser  
nū dānēs rīgt inapernū iter fi  
at deq rēnū mīdū cūz a crum  
**S**comānes ala vna carna  
us aquilina fū: nū feruor m

rūt rōns uolāt a nīs mīsōz dīm  
distrēnis cōta sensus uherāis  
ala cōntēplāno  
rīgētū: mīer āqer fūmūdōm  
hīs hācūndat hīs lēnūm qm  
nūz flūmū hī dōs est xpc hī



<sup>21.</sup>  
PROPOSITIONES  
DE  
BAPTISMO.

QVAE DEO IUVANTE, ET  
Spiritu suum largiente in Illustri Academia Iulia quæ  
est Helmstadij, præside Tilemano Heshusio Theo-  
logiæ Doctore: & respondente M. Hinrico  
Boethio Hebraicæ linguæ Pro-  
fessore disputabun-  
tur

21. Septemb.



HELMSTADII  
Excudebat Iacobus Lucius. Anno  
M. D. LXXXV.

